

Augusti montis (a) pastor in arce potens.

*Titulus in apside memoriæ S. Justi.* pag. 618.

4. Opusculum *adversus Amalarium* Lugdunensem cherepiscopum, *de Corpore Christi tripartito*, in tomo nono monumentorum Martenii et Durandi, pag. 641. De illo Amalarii errore dixi supra tomo I. Florus hoc opusculum per modum epistolæ scripsit: *Dominis beatissimis, reverentissimis, et piissimis pastoribus gregis Christi, rectoribus Ecclesiæ Dei, prædicatoribus ac propugnatoribus, catholicæ fidei. DRAGONI sacri consilii magistro et pontifici clarissimo, HETI Trevirorum antistiti, ALDRICO reverentissimo Cenomanorum episcopo, RABBAN abbati venerabili et ex provincia Lugdunensi prima, ALBERICO Lingonum et FORÆ Cabilonensi reverentissimis episcopis, Ecclesiæ catholicæ indignus filius et pietatis ac paternitatis vestræ exiguus servulus FLORUS* Subjicitur deinde, pag. 649, *Opusculum de eadem causa in concilio episcoporum apud Carisiacum palatium acta*; et pag. 166: *Epistola Flori ad Theodonis Villæ concilium adversus libros Amalarii.*

5. *Contra Joannis Scoti erroneas definitiones.* Scripsit nomine Ecclesiæ Lugdunensis; in Gilberti Manguini Nindiciis gratiæ et prædestinationis ex sæculi noni scriptoribus, tom. I, pag. 585, 738, Parisiis, 1659, 4, et tom. XV Bibliothecæ Patrum, edit. Lugdun., pag. 611. Videndum fueritne alius a nostro *Florus Prudentius Galindo, episcopus Tricasinus*, cujus et aliæ exstant adversus eundem Scotum

**A** lucubrationes ab eodem Manguino editæ. Vide etiam quæ contra sententiam Floro nostro scriptum illud tribuentem disseruit Menetrierius in *Memoriis litterariis Trevoltinis* anni 1795, pag. 514 seqq.

6. Alterius etiam vetustioris *Flori*, monachi. S. Trudonis, ordinis Benedictini, diocesis Leodicensis, circa annum 760, clari sunt *Additamenta ad Martyrologium Bedæ* cum illo vulgata ab Henschenio in *Actis sanctorum ante tomum secundum Martii*, et novissime cum Bedæ *Historia ecclesiastica gentis Anglorum* ex recensione Joannis Smith, Cantabrigiæ, 1722, fol. Adde Carolum Cointe tom. IV *Annales Francorum*, pag. 470 seq. Adjecit etiam elegiacos quosdam versus in calce cujusdam veteris commentarii in *Psalmos*, qui in codice mille annorum manuscripto in bibliotheca Mediolanensi Ambrosiana servatur. Carmen hoc edens Muratorius *Antiquit.* tom. III, pag. 856, in ea est opinione, ejus auctorem ipsum esse Lugdunensem diaconum, sæculi sui lumen; æque tamen judicat commentariorum illorum auctorem a S. Hieronymo, cujus nomen ibidem præfert, longe esse diversum. Porro in eo carmine ad Eloardum abbatem directo Florus recensuisse se commentarium illum narrat. Eandem commentationem ex Elonensi codice sibi notam eidem Floro Usserius in *Histor. Gottesch.* et Caveus ascribunt, sed ex carmine a Muratorio relato nullum aliud ab eo munus præstitium dicimus quam correctoris. Cæterum et ipse Florus Hieronymo vindicare opus illud visus est.

(a) *Dunum* Celtæ montem vel clivum, ut Græci βουνον et θίνα appellant. Vide *Cangium*.

## FLORI DIACONI

### LIBER DE ELECTIONIBUS EPICOPORUM,

COLLECTUS EX SENTENTIIS PATRUM.

(Apud Galland., ubi supra.)

I. Manifestum est omnibus qui in Ecclesia Dei sacerdotalia officia administrant, quæ sunt illa quæ in ordinatione episcopali, et sacrorum canonum auctoritas, et consuetudo ecclesiastica, juxta dispositionem divinæ legis et traditionem apostolicam jubeat observari. Videlicet ut pastore defuncto, et sede vacante, unus de clero Ecclesiæ, quem communis et concursus ejusdem cleri et totius plebis consensus elegerit, et publico decreto celebriter ac solemniter designaverit, legitimo episcoporum numero consecratus, locum decedentis antistitis rite valeat obtinere; nec dubitetur divino judicio et dispositione firmatum, quod ab Ecclesia Dei tam sancto ordine et legitima observatione fuerit celebratum.

II. Hæc sunt quæ et in Conciliis Patrum, et in decretis apostolicæ sedis pontificum statuta reperiuntur, et ab Ecclesia Christi et initio comprobata reperiuntur, et comprobantur. Unde et beatus martyr Cyprianus de sancto Cornelio urbis Romæ pontifice, cum episcopatum ejus adversus quosdam superbos et invidios calumniatores defenderet, hæc

**C** ipsa in testimonium sanctæ et legitimæ ordinationis ejus prosecutus est dicens (*epist. 111*): « Factus est Cornelius episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum omnium testimonio, de plebeio suffragio, de sacerdotum antiquorum et honorum virorum consensu; cum nemo episcopus inibi factus esset, cum gradus cathedræ sacerdotalis vacaret. Quo occupato, et omnium nostrorum consensione firmato, quisquam jam episcopus fieri voluerit, non nimodis necesse est ut ecclesiasticam non habeat ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet per consensum unitatem. Post primum secundus esse non potest. Quisquis enim post unum, qui per electionem consecratus est, esse voluerit, jam non secundus ille, sed nullus est. »

III. Juxta hæc verba beati Cypriani, ordinatos fuisse constat, et legitime præfuisse universo populo deinceps omnes Ecclesiarum Dei antistites, absque ullo consultu mundanæ potestatis, a temporibus apostolorum, et postea per annos fere quadragintos. Ex quo autem Christiani principes esse cœperunt,

eamdem episcoporum ordinationibus ecclesiasticam libertatem ex parte maxima permansisse, manifesta ratio declarat. Neque enim fieri potuit, cum unus imperator orbis terræ monarchiam obtineret, ut ex omnibus latissimis mundi partibus, Asiæ videlicet, Europæ et Africæ, omnes qui ordinandi erant episcopi ad ejus cognitionem deducerentur. Sed fuit semper integra et rata ordinatio, quam sancta Ecclesia juxta traditionem apostolicam et religiosæ observationis formam celebravit.

IV. Quod vero in quibusdam regnis postea consuetudo obtinuit, ut consultu principis ordinatio fieret episcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis, propter pacem et concordiam mundanæ potestatis; non tamen ad complendam veritatem vel auctoritatem sacræ ordinationis, quæ nequaquam regio potentatu, sed solo Dei nutu, et Ecclesiæ fidelium consensu, cuique conferri potest. Quoniam episcopatus non est munus humanum, sed sancti Spiritus donum, sicut ostendit apostolus, ubi ad episcopos loquitur, dicens (*Act. xx, 28*): *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Unde et in Epistola ad Hebræos (*cap. v, 4-6*) ait: *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo, sicut Aaron. Sic et Christus non semetipsum glorificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et iterum: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* In quibus Apostoli verbis evidentissime demonstratur, ad hoc munus adipiscendum atque sumendum sufficere unicuique gratiam Dei, cooperante fide et devotione gratiæ ejus, absque his autem humano arbitrio nemini posse concedi. Unde graviter quilibet princeps delinquit, si hoc suo beneficio largiri posse existimat, quod sola divina gratia dispensat; cum ministerium suæ potestatis in hujusmodi negotium peragendo adjungere debeat, non præferre.

V. Denique ut istius rei nonnulla proferantur exempla, puto quod de ordinatione beati Martini, quando ex monasterio sub alia occasione eductus, et a populo comprehensus, atque ad Ecclesiam perductus est, et continuo ab episcopis, qui ad hoc

invitati fuerant, consecratus, nemo principum hujus sæculi fuerit interrogatus. In Ecclesia quoque Lugdunensi sic religiosa olim et venerabilis consuetudo fuit, sicut antiqua narrat historia: scilicet ut, defuncto pontifice, omnis in unum conveniret Ecclesia, et triduo jejunio communi voto ac supplicatione celebrato, quemcunque eis Dominus per revelationem sive ex eorum clero seu aliunde ostenderet, ipsum sine dubio antistitem constituerent. Quod de beato Eucherio præfatæ urbis episcopo, et doctore egregio, sanctissimæ Vitæ ejus liber manifeste testatur impletum. Qui cum esset ex nobilissimo senatorum genere oriundus, et huic sæculo abrenuntians, omnique facultate sua in pauperes ob amorem Christi distributa, partibus Provinciæ in quodam specu retrusus, atque ibi soli Deo jejunos, et orationibus vacans latitaret, tali revelatione ostensus, atque inventus in pontificali regimine locatus est. Ex quo certissime constat quod omni illo tempore quo tantam bonitatem sive gratiam omnipotens Deus in illa voluit Ecclesia demonstrare, valebat ac sufficiebat ad consecrationem rectorum sola ejus gratia et fides Ecclesiæ devota.

VI. Sed et in Romana Ecclesia usque in præsentem diem cernimus absque interrogatione principis, solo dispositionis judicio, et fidelium suffragio, legitime pontifices consecrari: qui etiam omnium regionum et civitatum quæ illi subjectæ sunt, juxta antiquum morem, eadem libertate ordinant atque constituunt sacerdotes; nec adeo quisquam absurdus est, ut putet minorem illic sanctificationis divinæ esse gratiam, eo quod nulla mundanæ potestatis comitetur auctoritas.

VII. Quæ omnia non ideo dicimus quasi potestatem principum in aliquo minuendam putemus, vel contra religiosum morem regni aliquid sentiendum persuadeamus; sed ut clarissime demonstretur, in re hujusmodi divinam gratiam sufficere, humanam vero potentiam, nisi illi consonet, nihil valere. Quapropter in sacris canonibus Patrum, ubi plurimæ causæ commemorantur sine quibus episcopalis ordinatio irrita habenda est, de hac re nihil invenitur insertum.

